12

COMPENDIVM RHETORICÆ

potiſsima totius doctrinæ dicendi præcepta breuiſſimè atque optima methodo complectens, ex Cic. & Fabij Rhetoricis, in ſtudioſæ iuuentutis gratiam collectum,

Per Ioannem Cannartum Sueſſionenſem ſacræ facultatis Theologiæ Pariſ. Baccalaureum.



PARISIIS,
Ex Typographia Dionyſij à Prato, via Amygdalina, ad Veritatis inſigne.
1585.

COMPENDIVM

RHETORICÆ POTISSIMA

TOTIVS DOCTRINÆ DICENDI PRÆCEPTA

breuiſſimè atque optima methodo complectẽs, ex Cic. & Fabij Rhetoricis in ſtudioſæ iuuentutis gratiam, per J.C. collectum.

RHetorica,[1] eſt doctrina bene dicendi. [2]Finis Rhetoricæ, eſt bene, id eſt ſcienter, peritè, & ornatè dicere. [3]Officium oratoris, eſt de qualibet re propoſita dicere accommodatè ad perſuadendum: quod fit docendo, delectando, & mouendo: quorum [4]primum neceſſitatis eſt, alterum ſuauitatis, tertium victoriæ.

[5]Finis oratoris, eſt bene dicendo perſuadere: quod præſtare quoniam arduum eſt & difficile, ideò vnà cum ipſa arte, bonitate naturæ, & diligenti exercitatione eſt opus.

[6]Materia Rhetoricæ eſt quæſtio, ſiue res omnis dictione explicanda.

[7]Vniuerſa autem dicendi doctrina in præcepta de vi oratoris, oratione, & quæſtione, optimè diſtribuitur: eámque ob cauſam Ciceronis Partitionem hoc breui compendio ſequuti ſumus.

1 In Partit. Fab. lib. 2. cap. 16.
2 1. de Ora.
3 1. de Inuent.
4 ad Brut.
5 1. de Inuẽ.
6 Ibidẽ & 2. de Orat. Fab. lib. 2. cap. 22.
7 In Partit.

De vi oratoris, prima totius doctrinæ dicendi parte.

8 Ibid. Fab. lib.3. cap.3. 9 1. de Ora.

V[8] *Is oratoris generalia præcepta de inuentione, diſpoſitione, elocutione, memoria, & pronunciatione continet.*[9] *Debet enim primùm inuenire orator quid dicat: deinde inuenta adhibito iudicio optimo ordine diſponere: tum ea orationis venuſtate perpolire: pòſt, memoria cõplecti: ad extremum eadem cum actionis gratia pronunciare.*

De Inuentione.

10 1. de Inuentione.

I[10] *Nuentio eſt excogitatio rerum verarum, aut veriſimilium, quæ cauſam probabilem reddant. Hæc vt tribus oratoris officiis reſpondeat,*[11] *triplex eſſe conſtituitur: vna fidei, altera motus, tertia delectationis.*

11 2. de Orat.

12 In Parti. & Topicis. Fab. lib. 4. cap. 10.

[12] *Inuentio fidei poſita eſt in argumentis, quæ eruuntur ex locis aut in re ipſa inſitis, aut aſſumptis. Inſiti ſunt ex quibus argumenta quæ inhærent in ipſa re depromuntur. Eorum autem, quædam totam rei de qua agitur naturam exhauriunt: vt quæ eruuntur ex definitione, ex partium enumeratione, & notatione verbi. Quædam verò ad id de quo quæritur quodammodo affecta ſunt: vt quæ deducuntur ex coniugatis, ex genere, ex forma, ex ſimilitudine, ex differentia, ex contrariis, ex adiunctis, ex antecedentibus, conſequentibus, repugnantibus, ex cauſis, ex effectis, ex comparatione maiorum, minorum, parium.*

Aſſumpti loci ſunt, qui argumenta aliunde quàm à partibus quæſtionis ſuppeditant: qualia ſunt teſtimonia, 13 In Par. *tam diuina quàm humana:*[13] *quæ inartificialia dicuntur,*

quòd ea non pariat ars oratoris, ſed foris ad ſe delata tamen arte tractet, & maximè in teſtibus.

[14] Inuentio motus, eſt ratio excitandi auditoris aut ad voluptatem, aut ad moleſtiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem.[15] tot enim ſunt motus genera, partes plures generum ſingulorum. *14 2. de Orat. 15 in Part.*

[16] Inuentio delectationis, eſt quæ facetias, vrbanitates, riſus & lepôres (quibus[17] tanquam ſale conſpergenda eſt oratio) ad reficiendum & exhilarandum feſſum auditoris animum, ſuggerit & ſubminiſtrat. *16 2. de Orat. 17 1. de Orat.*

De diſpoſitione.

Diſpoſitio,[18] eſt apta rerum inuentarum collocatio: in qua maximè oratoris prudentia deſideratur, cùm in partibus orationis, tum in argumentis, & argumentationibus optimè diſponendis.[19] hæc duplex eſt, altera artis, altera prudentiæ. *18 de Inuēt. Fab. lib. 7. cap. 1. & 2. 19 2. de Orat.*

Diſpoſitio artificialis, naturæ eſt imitatrix & æmula, quando in oratione exordium primum locum, narratio ſecundum, confirmatio tertium, peroratio poſtremum obtinet. In argumentis, quando ordinem locorum ſequitur orator. In argumētationibus, quando propoſitio primum, aſſumptio ſecundum, concluſio vltimum locum occupat. Diſpoſitio prudentiæ, vim naturámque cauſæ conſiderat, & pro ratione temporum, locorum, ac perſonarum, naturalem ordinem inuertit, vtilitati cauſæ & neceſſitati inſeruiens. Quæ quia tota ex oratoris iudicio pendet, ideò plura de ea non traduntur præcepta. In argumentorum tamen collocatione, orator imitabitur peritum artis mili-

taris ducem, qui in fronte & fine robuſtiores milites: in medio debiliores conſtituit.

De elocutione.

20 1. de Inuent. Fab. lib. 8. ELocutio, ²⁰ *eſt idoneorum verborum & ſententiarum ad res inuentas & diſpoſitas accommodatio: vnde eloquentia nomen habet: quòd ex ea omnia eloquentiæ lumina, omnes dicendi veneres, omnia denique ornamenta, quibus res ſubiectæ illuſtrantur, exornantur, decorantur, tanquam ex vberrimo aliquo fonte oriantur,*
21 In Part. 22 In Ora. perfecto. Gel. lib. 7. cap. 4. *profluant ac hauriantur. Hæc pars Rhetoricæ maximè propria eſt, redditque orationem ²¹ dilucidam, breuem, probabilem, ſuauem. Neque aliunde triplex dicendi ²² character petendus eſt: cuius beneficio humilia ſubtiliter, ma-*
11. de Ora. *gna grauiter, mediocria moderatè efferuntur.*

In elocutione hoc primùm præcipitur, vt ¹ purè & Latinè loquamur: deinde vt planè & perſpicuè: tum vt or-
2 Fab. lib. 8. cap. 1. *natè ac pro rerum dignitate aptè.*

Ornatus autem ² in ſingulis primùm, deinde in coniunctis verbis ſpectari ſolet, id eſt in tropis & figuris.

De Tropis.

Idem lib. 8. cap. 6. ³ TROPVS *eſt elocutio, qua propria ſignificatio verbi in aliam mutatur: cuius quatuor ſunt potiſſima genera: metaphora, metonymia, ironia, & ſynecdoche.*

4 Idem ibidem. ⁴ METAPHORA, *eſt qua ex ſimili ſimile ſignificatur: vt cùm dicimus* gemmare vites, ſitire ſegetes, lumen orationis, &c.

Huc referuntur catachreſis, allegoria, ænigma & hyperbole.

Catachreſis eſt metaphora duriuſcula: vt,

[5] Inſtar montis equum, diuina Palladis arte, — 5 2. æneid.
Ædificant.

Allegoria eſt quando multiplicantur metaphoræ: vt

[6] O nauis referent in mare te noui — 6 Horatius 1 Oda.
Fluctus, ô quid agis? fortiter occupa
Portum.

Nauim enim pro Repub. fluctus pro bellis ciuilibus, portum verò pro pace & concordia dixit.

Ænigma, eſt quando allegoria eſt obſcurior: inter tropos tamen enumerari non debet, ſi propriis verbis conſtet: vt

[7] Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo, — 7 Virgil. 3. Ecloga.
Tres pateat cœli ſpatium non amplius vlnas.

Hyperbole eſt exceſſus ſignificationis in verbo: vt de Camilla,

[8] Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret — 8 æneid.
Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas.

METONYMIA, *eſt nominis tranſmutatio: cuius quatuor ſunt modi.*

Primus eſt, cùm ex cauſis effecta ſignificantur: vt cùm inuentorem ſiue auctorem rerũ pro rebus ipſis ponimus: vt

[9] Sine Cerere & Baccho friget Venus. — 9 Terent. in Eunuc.

Cererem enim pro pane, Bacchum pro vino, Venerem pro libidine poſuit.

Secũdus modus eſt, cũ ex effectis cauſæ ſignificãtur, vt,

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,
[1] Regúmque turres, ô beate Seſti. — 1 Horat. 1. Odarum.

Pallida mors dicitur, quia pallidum corpus reddit.

Tertius modus eſt, cùm nomen proprium rei ſubiectæ

ad ſignificandam rem adiunctam traducitur, proponitúrque continens pro re contenta: vt

11 2. æneid. "Inuadunt vrbem, ſomno vinóque ſepultam.

12 pro lege Manil. "*Sic* Teſtis eſt Italia, Gallia, Hiſpania, &c. *Ex hoc genere etiam eſt illud, cùm ex poſſeſſore res poſſeſſa intelligitur: vt,*

13 2. æneid. " Iam proximus ardet
Vcalegon, *id eſt, Vcalegonis domus.*

Quartus modus eſt, cùm ex adiunctis res ſubiectas intelligimus: ſic virtutes pro viris bonis, vitia pro malis ponuntur: vt,

14 2. Catil. " Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc ſtuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc ſcelus: hinc conſtantia, illinc furor, &c. *Huc refertur Metalepſis, quæ eſt metonymia geminata in eadem dictione, cùm ab vna cauſa ad aliã, & ab hac rurſus ad aliam progredimur: vt,*

15 Virgil. 1. Ecloga. "Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas.

Per ariſtas enim æſtates, & per æſtates annos intelligit, quæ ſunt ſpecies metonymiæ, qua ex adiunctis ſubiecta ſignificantur.

IRONIA, *eſt quando ex diſſentaneo diſſentaneum ſignificamus: vt,*

16 4. æneid. " Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla refertis,
Túque puérque tuus: magnũ & memorabile nomen
Vna dolo diuûm ſi fœmina victa duorum eſt.

Huc referenda eſt Apophaſis, ſiue Paralepſis, non ad figuras διανοίας eſt enim Ironia tranſitionis, & ex verbis dependet: vt,

17 Pro Cluen. " Mitto illam primam libidinis iniuriam, mitto nefarias generi nuptias, mitto cupiditate matris expulſam ex matrimonio filiam, &c.

In ver-

In verbo enim(mitto) apophaſis eſt: eadémque eſt ironia: ex contrario enim contrarium ſignificatur.

SYNEDOCHE *eſt, quando aut totum pro parte, aut pars pro toto, aut genus pro ſpecie, aut ſpecie pro genere ponitur. Totum pro parte: vt,*

Pabula guſtaſſent Troiæ, Xanthúmque bibiſſent.

Xanthum, pro aqua parte aliqua dixit.

Pars pro toto, vt cùm ponitur puppis pro naui. Virg.

Haud aliter puppéſque tuæ, pubéſque tuorum.

Genus pro ſpecie, vt philoſophus pro Ariſtotele, Poëta Latinus, pro Virgilio, Tydides pro Diomede, & Pelides pro Achille. *Hanc tertiam ſpeciem Rhetores antonomaſiam appellant.*

Species pro genere, vt cùm Curius pro homine frugi ponitur: Iuuenal.

[20] Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia viuunt. 20 Iuuen. Sat. 2.

De Figuris.

FIGVRA *eſt elocutio, qua oratio à recta & ſimplici conſuetudine in aliam mutatur: cuius duo ſunt genera, alterum* [21] λέξεως, *alterum* διανοίας. 21 Fab. lib. 6. cap. 1.

Figura λέξεως, *eſt numerus quidam orationis & modulus, id eſt apta & ſuauis dictionum conformatio, quæ cum delectatione percipitur.* [22] *Numerus autem eiuſmodi in oratione duobus modis conſideratur: altero quidem in apta pedum ſtructura & collocatione, aut in principio clauſularum, aut medio, aut fine, vbi probatur in* 22 In Ora. perfect.

Principio	Spondæus --	dio	Pæon 1.	Dechoreus -υ-υ
	Dactylus - υυ		Pæon 4.	Dicreticus
	Anapæſtus υυ-		υυ-	Diſpondæus
	Creticus -υ-		Creticus fine.	Creticus & Dactyl.
	Pæan primus -υυυ		Bacchius	Bacchius & Cretic.
	Amphibracus υ-υ		υ--	Spondæus & Bacch.
	Moloſſus ---			Choreus & Moloſſ.

Altero modo ſpectatur numerus in ſuaui vocum inter ſe conſonantium ſimilitudine & nexu: quo pertinent hæ octo figuræ. ἐπιζεύξις, διαφορὰ, ἐπιστροφὴ, ἐπανάληψις, ἐπάνοδος, κλίμαξ, παρονομασία, πολύπτωτον.

ἐπιζεύξις, *eſt numerus quo idem ſonus continenter repetitur: vt,*

1 Virgil. 2. Ecloga. [1] Ah Corydon Corydon, quæ te dementia cæpit.

Vbi aliquando coniunctio vel parentheſis interponitur: vt;

2 1. Catil. [2] viuis, & viuis non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam. Et, [3] totum hoc, quantum

3 Pro marco Marcello. cunque eſt (quod quidem maximum eſt, totum eſt inquam tuum. *Huc refertur* διαδίπλωσις, *quæ eſt repetitio eiuſdem dictionis in fine præcedentis & initio ſequentis verſus: vt,*

4 6. Æneid. [4] Deiphobum vidi lacerum crudeliter ora,
Ora manúſque ambas..

διαφορὰ, *eſt numerus quo idẽ ſonus repetitur in principiis vel inciſorum, vel membrorum, vel periodorum: vt,*

5 5. Æneid. [5] Non vultus, non color vnus,
Non comptæ manſere comæ, &c.

6 Virg. 2. Ecloga. [6] Pan primus calamos cera coniungere plures
Inſtituit: Pan curat oues ouiúmque magiſtros.
Accuſant ij, qui in fortunas huius inuaſerunt:

cauſam dicit is, cui nihil præter calamitatem reliquerunt.' Accuſant ij, quibus occidi patrem Sexti Roſcij bono fuit; cauſam dicit is, cui non modò luctum mors patris attulit, verumetiã egeſtatem, &c. 7 Pro Roſc. Amer.

ἐπιστροφὴ, eſt cùm ſimilis dictionum ſonus ſæpius in eoſdem fines extremos conuertitur: quo pertinent ὁμοιόπτωτοι, ὁμοιοτέλευτοι, συμπλοκὴ, ἀντιστροφὴ, & ἐπιμονή.

ὁμοιόπτωτοι, eſt quando verba vel ſententiæ iiſdem caſibus finiuntur: vt, ' O præclarum interpretem iuris, auctorem antiquitatis, correctorem & emendatorem noſtræ ciuitatis. 3 Pro Cor. Balbo.

ὁμοιοτέλευτοι, eſt quando verba vel aliæ dictiones quæ per caſus non declinantur, eodem modo finiuntur: vt, ' hæc eſt non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, ſed à natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, &c. *Sic,* Hæc à te non modò fortiter, verumetiam prudenter, ſapientérque facta ſunt. 6 Pro Mil.

συμπλοκὴ, eſt quando eadem dictio repetitur in fine: vt, ' Doletis tres exercitus populi Romani interfectos? Interfecit Antonius. Deſideratis clariſſimos ciues? Eos quoque eripuit nobis Antonius. Auctoritas huius ordinis afflicta eſt? afflixit Antonius. *Sic* ' atque illud etiam à te audire cupio, quare cùm ego legem de ambitu tulerim, ex Senatuſconſulto tulerim, ſaluis auſpiciis tulerim, tu eam eſſe legem non putes. *Poſterius tamen exemplum ad ἀντιστροφὴν referri debet: quemadmodum & illud*: Pœnos pop. Rom. iuſtitia vicit, armis vicit, liberalitate vicit. 4 2 Philip. 5 In Verr.

Ἐπιμονὴ eſt, quando, vnum & eundem verſum poſt aliquot alios repetimus: vt,

3 Virgil. 8. Ecloga.

³Incipe Mœnalios mecum mea tibia verſus. *Et,* Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnin.

Ἐπανάληψις, eſt numerus quo ſonus idem in principio & fine alicuius verſus vel periodi repetitur: vt,

4 1. Aeneid.

⁴Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa.

Ἐπάνοδος numerus eſt ſimilibus vocibus vel in principio & medio, vel medio & clauſula reſonans: qui & ordinis mutatione, & ſimilitudinis gratia delectat: vt,

5 idem Ecloga. 8.

⁵Crudelis tu quoque mater
Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater:

Κλίμαξ, eſt numerus in quo ita oratio progreditur, vt antecedens ſequenti loco prius repetatur, quàm proximum affirmetur: vt,

6. idem. Ecloga 2.

⁶Torua leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam:
Florentem cythiſum ſequitur laſciua capella,
Te Coridon, ô Alexi.

Παρονομασία, eſt numerus qui ex ſola vocum colliſione gignitur, aut in primis ſyllabis: vt, ⁷Nam vt apertus fuit in corripiendis pecuniis, ſic in ſpe corrumpendi iudicij: *Aut mediis*: vt, ⁸En cur magiſter ex aratore orator factus ſit: *Aut primis & vltimis: vt,* ⁹Non modò vincere, ſed vincire te oportuit: *Aut vltimis tantùm: vt,* Non hæc podagra, ſed chiragra

7 Act. 2. in Verrem.
8 8. Philip.
9. de Reſp.
4 Martial. lib. 2.

eſt. *Hæc autem figura magnam affinitatem habet cum argumento à coniugatis.*

πολύπτωτον, *eſt cùm caſus, genera, tempus, perſonæ vel modi, mutantur: ipſa tamen ſyllabarum ſimilitudo retinetur: Caſus, vt,*

[20] Littora littoribus contraria, fluctibus vndas. 20 4. Æne.

Genera: vt,

[21] Ipſi lætitia voces ad ſydera iactant 21 eclog. 5.
Intonſi montes: ipſæ iam carmina rupes,
Ipſa ſonant arbuſta, Deus deus ille Menalca.

Tempus: vt,

[22] Phillis amat corylos, illas dum Phyllis amabit, &c. 22 ibidē.

Perſonæ & modi: vt,

Studes Reipub. vtilitati, inquis, ſtudemus & nos ipſi: ſtudere itaque ne deſinas.

Ad numerum quoque pertinet, videre ne ſit in concurſu conſonantium nimia aſperitas, aut in concurſu vocalium, ne committatur hiatus. Inter conſonantes autem x & z aſperum, t, tenuem in vocalibus verò a & o, maximum, e & i, minimum, u, autem mediocrem ſonum edit.

[1] *Figura* διανοίας, *id eſt, ſenſus & mentis, eſt conformatio quædam enunciandæ ſententiæ, quæ in comprehenſione orationis cernitur: & idcirco mutatis aut tranſpoſitis verbis omninò retineri poteſt: quòd in figura* λέξεως *non fit. Huius quatuor genera cõſtitui quodammodo poſſunt, vt aliæ ſint petitionis & reſponſionis, aliæ fictionis, aliæ abruptionis, aliæ denique amplificationis.* 1. Fab. lib. 5

PRIMVM *genus conſideratur aut in ſimplici pe-*

titione, & ſic continet deprecationem, addubitationem, & comparationem: aut in ſimplici reſponſione, & habet permiſſionem & conceſſionem, aut in vtraque ſimul, quo pertinet prolepſis.

DEPRECATIO *eſt, cùm alicuius opem, vel auxiliũ, vel nomen imploramus: vt,*

2 1. Metam. [2]Dij cœptis (nam vos mutaſtis & illas)
Aſpirate meis.

ADDVBITATIO *eſt, quæ præ ſe fert ſoliciti hominis*
3 Pro Roſc. Amer. *& hæſitantis affectum: vt,* [3]Quid primum querar? aut vnde potiſſimũ ordiar, aut à quibus auxiliũ petam?

COMMVNICATIO, *eſt cum aliis quædam conſultatio & deliberatio: quæ diſcrepat à ſuperiore, quia illic, apud noſmetipſos dubitamus, & quaſi nobiſcum agimus: hîc verò, cum aliis rationem inimus: vt,* [4]Tu denique Labiene, quid faceres tali in re ac tempore? (4 Ibidem.)

PERMISSIO *eſt, cùm alicuius facti licentia datur: quo concurrit ſæpiſſimè ironia: vt,*

5 4. Æned. [5]I, ſequere Italiam ventis, pete regna per vndas.

CONCESSIO, *eſt cùm aliquid damus, quod ſibi concedi alius poſtulat: vt,* [6]Sit ſacrilegus, ſit fur, at eſt bonus Imperator. (6 Act. 7. in Verr.)

7 Pro Mil. PROLEPSIS, *eſt cùm aliqua quæſtio vſurpatur, eique reſponſio ſubiecta redditur: vt,* [7]Etſi vereor (iudices) ne turpe ſit pro fortiſſimo viro dicere incipientem timere: tamen hæc noui iudicij noua forma terret oculos.

Secundũ genus, quod eſt in fictione, cõtinet proſopopœiã.

PROSOPOPŒIA, *eſt figura in qua ficta perſona,*

aut rei mutuę orationem nos ipſi in oratione noſtra ſuſtinemus. Ea autem duplex eſt:altera plena,altera obliqua: Proſopopœia plena dicitur, cùm tota fictio perſonæ oratione noſtra repræſentatur:eiúſque duæ ſunt ſpecies. Altera enim dicitur CONTINENS, *quæ conſtat perpetua & non interrupta narratione: vbi initio eſt quidam veluti apparatus, in fine verò breuis concluſio: vt,*

[8] Dixítque nouiſſima verba. 8 4.Ænei.
Dulces exuuiæ dum fata deúſque ſinebant,
Accipite hanc animam, méque iis exoluite curis,
Vixi,& quem dederat curſum fortuna peregi:
Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.
Vrbem præclaram ſtatui,mea mœnia vidi:
Vlta virum,pœnas inimico à fratre recepi:
Fœlix,heu nimium fœlix,ſi littora tantùm
Nunquam Dardaniæ tetigiſſent noſtra carinæ.
Dixit,&c.

Altera dicitur dialogiſmus,id eſt ficta perſonarũ collocutio: vt [9] Malè iudicauit populus:at iudicauit. Non debuit:at potuit. *In hanc frequenter incidit prolepſis.* 9 Pro Plac.

Obliqua proſopopœia dicitur, cùm tota fictio perſonæ & orationis, leuiter & obliquè indicatur: vt cũ quis aliquid commemorat, quod à ſe, vel ab alio dictum fuit: vt,

[10] At ego neſciebam quorſum tu ires:paruola 10 In Eun.
Hinc abrepta:eduxit mater pro ſua:
Soror eſt dicta:cupio abducere,vt reddam ſuis.

TERTIVM genus figuræ διανοίας quod eſt abruptionis, continet digreſſionem, apoſtrophen, reticentiam, & correctionem.

11 Fab. lib. 4. cap. 3. "DIGRESSIO *eſt aliena rei, ſed ad vtilitatem cauſa pertinentis, extra ordinem præcurrens tractatio: quæ ſit tranſitionis, exornationis, laudationis, criminationis,*
12 1. Metã. *deſcriptionis loci, aut alius alicuius rei gratia:" vt,*

Separat Aonios Actæis Phocis ab aruis,
Terra ferax, dum terra fuit: ſed tempore in illo
Pars maris, & latus ſubitarum campus aquarum.
Mons vbi verticibus petit arduus aſtra duobus,
Nomine Parnaſſus, ſuperátque cacumine nubes.

Vitioſa autem eſt digreſſio, ſi cum re propoſita non cohæreat: & ſi perturbet ſententiam.

APOSTROPHE, *eſt cùm oratio ab vna perſona ad*
13 pro Mur. *aliam transfertur: vt,* " A quo tandem Marce Cato æquius eſt defendi conſulem quàm à conſule?

RETICENTIA, *eſt abruptio, qua pars aliqua ſententiæ reticetur, & oratio quaſi abrumpitur: vt,*

14 1. Æneid. "Quos ego, ſed motos præſtat cõponere fluctus.

CORRECTIO *ſiue reuocatio ſui eſt propoſitæ ſententiæ reprehenſio & emendatio: vt,*

15 2. eclog. "Ruſticus es Coridon, nec munera curat Alexis.

QVARTVM genus figuræ διανοίας *exclamationem, ſuſtentationem, & licentiam complectitur.*

EXCLAMATIO, *eſt orationis elatio, ad augendum reperta: quæ ſæpe declaratur his particulis, vtinam, ô, heu, eheu, prô, en, & ſimilibus: habétque optationem, execrationem, imprecationem, & epiphonema.*

Optatio, eſt quando cum voto, aliquid nos expetere demonſtramus: vt,

16 4. eclo. "O mihi tam longæ maneat pars vltima vitæ,

Spiritus & quantum ſat erit tua dicere facta.
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus.

Execratio, eſt quando aliquid cum exclamatione & horrore admiramur, & deteſtamur: vt, [17] O ſcelus, ô portentum in vltimas terras exportandum! 17 Act.3. in Ver.

Imprecatio, eſt quando malum alteri optamus: vt,

[18] Dî tibi dent, nullóſque lares, inopémque ſenectam: 18 Ouid.1. Amor.

Epiphonema, eſt exclamatio quæ ad finem rei narratæ addi ſolet: vt,

[19] Tantæ molis erat Romanam condere gentem. 19 1. Ænei.

SVSTENTATIO, *ſiue ſuſpenſio ſententiæ eſt, cùm res magna dicitur, & modò maior, modò minor ſubiicitur, quàm erat expectatum: vt,*

[20] Quod conuiuaris ſine me tam ſæpe Luperce, 20 Martial. lib.6.
Inueni, noceam qua ratione tibi.
Iraſcar, licet vſque voces, mittáſque rogéſque:
Quid facies? (inquit) quid faciam? veniam.

LICENTIA *eſt qua quis præ fert audaciam dicendi, quod non dicendum fuiſſe videbatur: vt,* [21] Vide quàm non reformidem, vide quãnta lux liberalitatis tuæ, mihi apud te dicenti oboriatur. Quantùm potero, voce contendam, vt me pop. Rom. exaudiat. Suſcepto bello, C. Cæſar, nulla vi coactus iudicio meo & voluntate, ad ea arma profectus ſum, quæ erant ſumpta contra te. Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eũ qui cùm hoc ſciret, tamen me antequam vidit, Reipub. reddidit. &c. 21 Pro Lig.

De memoria.

a 1.de Orato. MEmoria,ª eſt rerum inuectarum, diſpoſitarum, & ornatarũ, firmiſſima cuſtos, & veluti theſaurus:

1.De opt. gene. Orat. ac reliquarum partiũ¹ fundamentum: quibus cõſeruandis niſi adhibeatur, intelligimus omnia, etiãſi præclariſſima

2 2.de Ora. fuerint, in oratore peritura.² Soli enim qui memoria vigent, ſciunt quid, & quatenus, & quomodo dicturi ſunt. Hæc duplex eſt naturalis, & artificioſa.

3 Fab.li.11. cap.2. ³Naturalis, eſt vis animis inſita, quæ & facilè res percipit, & fideliter continet: cuius cognitio petenda eſt ex Phyſicis.

4 In Partit. 5 2 de Ora. 6 Fab.lib. 11.cap.2. 7 Idẽ ibidẽ Artificialis, eſt quæ præceptis confirmatur: quam certis locis & imaginibus⁴ tanquam chartis & literis, cõſtare volunt,⁵ cuius inuentor fertur Simonides.

⁶Hæc tamen præceptio, plus negotij & laboris, quàm opis & auxilij exhibet.⁷ Nihil enim eſt vtilius quàm aſſidua exercitatio, in ediſcendis ad verbum & noſtris & alienis ſcriptis. Neque parum confert optima diſtributio, atque compoſitio: qui enim rectè diuiſerit, nunquam poterit in rerum ordine errare. Si longior fuerit oratio ediſcenda, proderit per partes ediſcere, & in contextu verborum difficili, crebra meditatio erit adhibenda: repetendáque ſæpe memoria erunt, quæ ei credideris. Non erit etiam inutile certis vti notis, quarum recordatio commoneat, & quaſi excitet memoriam. Præterea quæ memoriæ mandare volueris, non magna voce ſed dulci murmure potiùs meditanda erunt, & nocte magis quàm interdiu. Iuuabit quoque non parum frugalitas in victu, mediocris exercitatio corporis, moderata cerebri temperatio, & remiſſio quædam ſtudiorum: ſi non fuerint intempeſtiua ſtudia,

non occupatus animus curis, aut perturbationibus, quæ memoriam grauiſſimè lædunt.

De pronunciatione.

[8]Pronunciatio ſiue actio, eſt ex rerum & verborũ dignitate vocis & corporis moderatio, & quaſi corporis quædam elocutio: quæ[9] conſtat voce, vnde pronunciatio, & geſtu, vnde actio dicitur: quorum alterum ad aures, alterum ad oculos attinet: per quos duos ſenſus, ad animum omnis ferè cognitio peruenit. 8 1. de Inuent. 3 de Orat. 9 Fab. lib. 11. cap. 3. In Orat. ad Brutum.

[10]In voce deſideratur claritas, firmitas, & ſuauitas: quæ licet à natura optanda ſint, tamen arte & exercitatione non iuuantur. 10 Fab ibi.

Pronũciatio debet eſſe emẽdata, dilucida, ornata, apta.

[11]Emendata erit, ſi fuerit os facilè explanatum, iucundũ vrbanum, i. in quo nulla ruſticitas neq; barbaries reſonẽt. 11 1. de Ora. & 3. & in Oratore perfect.

[12]Dilucida ornatáque erit, ſi literarum ſonus rotundè & perfectè pronuncietur. Si nihil putidiùs expreſſum, nihil negligentiùs obſcuratum, nihil exili voce languidiùs, nihil inflata grauiùs, dicatur. Si ſyllabæ non deuorentur, neque numerentur, ſed clarè & apertè proferantur, habita ratione accentuum, inciſorum, membrorum, & periodorũ. 12 Hęc omnia fusè à Fab. tractãtur. lib. 11. cap. 3.

Apta denique erit, ſi affectibus accommodetur: vt ſi in lætis rebus fuerit plena, ſimplex, hilaris: In triſtibus flexibilis, obſcura: In ira aſpera, denſa, reſpiratione crebra: in blandiendo, fatendo, ſatisfaciendo, rogando, lenis & ſubmiſſa: In ſuadendo, monendo, pollicendo, conſolando, grauis: in egreſſionibus fuſa: in expoſitione recta. Hæc enim vocis & pronunciationis pro rerum diuerſitate variatio, ad conſeruãdam vocem maximè confert. Contrà verò ni-

hil eſt pernicioſius quàm effuſa ſine intermiſſione cõtentio.
13 Idem ibidem, & in Orat. perfect. *Geſtus qui ipſi voci conſentit, & animo, cùm ea ſimul paret, quantum habeat in oratore momenti, ſatis ex eo patet, quòd pleraque etiam citra verba ſignificat: eſt autẽ totius corporis ad vocem & res ſubiectas conformatio: præcipuè tamen in capite, & manibus dominatur. Status itaq; totius corporis ſit erectus. Caput neque deiectum, neque ſupinum, neque inclinatum ad latus, neque rigidum, ſed moderatè erectum, manibus ac lateribus obſequatur. Vultus quia imago animi eſt, in actione dominatur: hoc enim ſupplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc ſeueri, hoc remiſſi ſumus. Secundum vultum oculorum moderatio adhibenda eſt: per hos enim animus emanat: Híſque lachrymas natura mentis indices dedit: quæ aut erumpunt dolore, aut lætitia manant. Ceruices rectæ ſint, neque vlla ſit earum mollicia. Brachij moderata ſit in contentionibus proiectio: in remiſſis contractio. Manus quanuis infinitas actiones habeat, vocando, dimittendo, minando, ſupplicando, & alias res infinitas declarando, tamen in eius motu ſeruanda modeſtia eſt. Eſt & digitorum ſua actio, exprobrando enim, & indicando, index plurimùm valet: nullæ tamen ſint digitorum argutiæ. Probatur quoque aliquando femoris percuſſio, in rei alicuius certitudine confirmanda. Supploſio etiam pedis in contenſionibus incipiendis aut finiendis optima eſt. modò non fuerit frequens. Proderit quoque ad commendationem dicentis, initio dicendi ingenuum aliquem pudorem & verecundiam oſtendere: id enim in ſummũ oratoribus vel maximè probatur.*

14 Vt in L. Craſſo, 1. de Orat.

De oratione ſecunda totius doctrinæ dicendi parte.

QVoniam vis oratoris omnis expoſita eſt, ſequitur vt præcepta de oratione tradantur: cuius [15] quatuor potiſſimæ ſunt partes, exordium, narratio, contentio, & peroratio: quarum prima & poſtrema ad mouendos affectus valent: ſecunda & tertia fidem faciunt orationi. 15 In Part.

De exordio.

EXordium, eſt [16] principium orationis, quo beneuolum, attentum & docilem facimus auditorem: aut apertè in principiis, aut occultè in inſinuationibus. [17] Beneuolētia quatuor ex locis cōparabitur: à noſtra perſona, aduerſariorum, diſceptatorū, & rebus ipſis. A noſtra perſona, ſi noſtrum officium ſine arrogantia cōmemorabimus. Aduerſariorum, ſi eos in odium, inuidiā, contemptum rapiemus. Diſceptatorum, ſi eorum vtilitati nos ſtudere docebimus: & ſi eorum facta, dictáve laudabimus: ac iudicis laudem noſtræ cauſæ accommodabimus. A rebus ipſis, ſi cauſam noſtram laudando extollemus: & auditoribus frugiferam dicemus, aduerſariorum deprimemus, & obfuturam auditoribus oſtendemus.

16 I. de Inv. Fab. lib. 4. cap. 1.

17 In Part.

[18] Attentionem primùm parabimus, ſi pollicebimur nos de rebus magnis, nouis, inuſitatis, & quæ ad Rempub. ad eos qui audiunt, aut ad religionem pertineant dicturos. Deinde ſi dicemus vt attentè nos audiant. Et ſi paululum expectabimus, cum quadam grauitate vultus, antequam ordiamur. Si pollicebimur nos dicturos breuiter, ſolùm ea quæ putabimus maximè pertinere ad vtilitatem cauſæ. 18 Ibidem.

& ſi aliquid faceti interdum narrabimus. Aut ſi dubitare nos dicemus, quibus potiſſimùm verbis rem tantam exordiri debeamus.

19 Ibidem. *[19] Dociles verò faciemus auditores tribus modis. Primùm, ſi à principio ſummã cauſæ breuiter exponemus, proponemúſque quid & quo ordine ſimus dicturi: ſi attentos faciemus. Docilis enim eſt omnis qui attentè vult audire. Deinde ſi ante omnia diluemus eam partem quã nobis putabimus maximè officere poſſe. Poſtremò ſi diuiſerimus cauſam in certa capita: atque interdum repetemus ea quæ non ſatis percepiſſe eos qui audiunt putabimus.*

20 1. de Inuent. *[20] Quoniam autem variæ ſunt qualitates cauſæ, aliáque aliquãdo eſt honeſta, alia turpis, alia admirabilis, alia anceps, alia obſcura: pro ratione cuiuſque, prudens orator exordietur. In honeſta enim non ita eſt neceſſarium exordium: in turpi & admirabili, inſinuatione eſt vtẽdum. In humili attentio: in ancipiti & obſcura, docilitas potiſſimùm eſt paranda. Vbique verò affectus leniter ſunt tractandi. Illud quoq; in exordio eſt notandum,* 21 In Part. *[21] vt ſi quãdo tempus ipſum, aut res, aut locus, aut interuentus alicuius, aut interpellatio, aut ab aduerſario dictum aliquod, & maximè in perorando, dederit nobis occaſionem, vt dicamus aliquid ad tempus, ne prætermittamus.* 22 1. ad Herennium. *[22] Vitabimus autem exordia nimis apparata, communia, longa, contra præcepta, aliena à cauſa, & commutabilia.*

De narratione.

1 1. de Inuent. Fab. lib. 4. c. 2. *NArratio eſt[1] rerum geſtarum, aut vt geſtarum, vtilis ad perſuadendum id quod intenderis commemoratio: quæ paſſim, veluti ſeminibus argumentorum ſpar-*

ſis firmamentum ac robur totius confirmationis futuræ continet: éſtque propoſitio veluti quædam, & quaſi ſedes [2] 2.In Part. ac fundamentum conſtituendæ fidei.

[3]In narratione tres virtutes requirūtur: vt ſit dilucida, 3 Ibidem. quò faciliùs intelligatur: vt breuis, quò pronius memoriæ mandetur: vt probabilis, quò fidem mereatur.

Dilucida erit, ſi nihil cōfundamus: ſi rem vſitatis verbis, & nō longo verborū anfractu aperiamus: & ſi quod primùm geſtum eſt primo loco exponamus, & rerum ac temporum ordinē ſeruemus. Quod ideò maximè cauendū eſt: quia in aliis, ſi quid dictum obſcuriùs, tantùm id perit quod dictū eſt: Narratio obſcura, totā obcæcat orationē.

Breuis erit ſi inde narrare incipiamus vnde eſt neceſſe: & ſi non gemino ab ouo (quod dicitur) rē arceſſamus: & ſi ſummatim, non particulatim narremus: neque ad extremum, ſed quouſque opus eſt perſequamur.

Probabilis erit, ſi perſonis, locis, temporibus, quæ narrabūtur conſentient: ſi cuiuſque facti & euenti cauſa ponetur: ſi teſtata dici videbuntur: ſi cum hominum opinione, autoritate, lege, more, regione cōiuncta: ſi probitas narrantis ſignificetur.

Suauitas quoque in ea maximè probatur: Eſt autem ſuauis narratio, quæ habet admirationes, expectationes, exitus inopinatos.[4] Hypotypoſis etiam reddet eam illu- 4 Fab.li.8. cap.3. ſtrem: ſi ita res declaretur, vt non narrari tantùm, ſed etiā geri quodammodo videatur.

[5]Ad narrationē referri poteſt egreſſio, de qua in figuris 5 1.de Inue. Fa.li.4.ca. 1.4 & 5. [illegible] egimus: & propoſitio (quæ ſummam controuerſiæ cōtinet, eſtq́; confirmationis initium) cum partitione ſiue

6.1.de Inu. *diuiſione: quando cauſa non eſt ſimplex: [6] quæ eſt noſtrarũ, aut aduerſarij propoſitionum, aut vtrarumque ordine collocata enumeratio.*

De contentione.

Contentio, tertia pars eſt orationis, quæ fidem facit cauſæ & controuerſiæ, de qua præcipuè agitur. Hæc diuiditur in confirmationem & refutationem.

7.1. de Inuent. *Confirmatio eſt per quē argumentando noſtræ cauſæ fidem, auctoritatem, ac firmamentum adiungit oratio.*

8. In Part. *[8] In coniectura, aut veriſimilibus argumentis, quæ ducuntur ex perſonis, locis, temporibus, factis, euentis, & rerum ac negotiorum naturis, aut propriis rerum notis, aut*

9 Ibidem. *ſignis, exemplis, ſimilitudinibus, fabulis, teſtimoniis: [9] In definitione, definiendo extrema quæſtionis.*

Definitio autem conficitur genere & differentia, vel proprietate, communium frequentia, contrariis, diſſimilibus, paribus, enumeratione conſequentium, diuiſionibus,

10 Ibidem. *& partitionibus.*

[10] In qualitate ſi iure, vel vlciſcendi doloris gratia, pietatis, pudicitiæ, religionis, patriæ nomine, neceſſitate, inſcitia, caſu factum defendatur.

11 1.de Inuen. Fab.li. 5.c.11. 12 In part. *[11] Refutatio eſt, per quam argumentando aduerſarij cõfirmatio diluitur, aut infirmatur, aut leuatur: vel [12] totum negando, quod in argumentatione ſumpſit, vel fictum, aut falſum, aut pro veriſimili ſumptum dicendo, aut dubia ſumpta pro veris, aut in perſpicuè falſis eadẽ dici poſſe, aut ex ſumptis nõ effici quod vult, aut vitia virtutibus proxima ſumpta eſſe aſſerendo. Quæ quoniã argumentatione tractanda ſunt, non abs re fuerit, noſſe duo eſſe ar-*

gumentationum genera:[13] alterum, quod directè tendit ad fidem, quales ſunt argumentationes dialecticorum: alterũ quod potiùs ſe inflectit ad motum, quod proprium eſt oratorum. 13 In Part.

De peroratione.

P[14] *Eroratio, eſt exitus & determinatio totius orationis: quæ conſtat enumeratione, & amplificatione.* 14 1. de Inuent. Fab. li. 6. cap. 1.

Enumeratio eſt, qua per ſumma orationis capita decurrentes, res[15] diſperſè & fusè in toto orationis decurſu dictas, reminiſcendi cauſa, vnum veluti ſub aſpectum ponimus, vt cauſa noſtra firmior appareat,[16] quæ laudatori nũquã, ſuaſori nõ ſæpe, accuſatori ſæpius quàm reo eſt neceſſaria. 15 1. de Inuent. 16 In Part.

[17] *Amplificatio, eſt vehemens quædam argumentatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem. Ea verborum genere conficitur & rerum.[18] Verba ſimplicia debent eſſe grauia, plena, ſonantia, tranſlata, ſuperlata.* 17 Ibidem. 18 Ibidem.

Coniuncta verò, iterata, duplicata, ſoluta coniunctionibus, aſcendentia gradatim ab humilioribus ad ſuperiora, cum actione vocis & vultus rei ſubiectæ reſpondente. Res augentur definitionibus conglobatis, conſequentium turba, contrariorum & diſſimilium conflictione, ſimilitudinibus, comparationibus, exemplis, proſopopœiis, & reliquis figuris amplificationis: omninóque iis rebus, quæ aut natura, aut vſu magnæ ſunt. Hic autem potiſſimum eloquentiæ vis dominatur in mouendis grauioribus affectibus (qui à Græcis[19] πάθη dicuntur) aut ad[20] lætitiam, aut ad dolorem, aut ad metum, aut ad cupiditatem. 16 Fab. li 9. cap. 3. 20 In Part.

D

De quæſtione poſtrema totius doctrinæ dicendi parte.

11 Fab.li.3. cap.13.
12 In Part. & Top. & 2. de Orat.

QVæſtio,eſt propoſitio de qua in vtramq; partem vel in plures dici credibiliter poteſt: quæ in infinitam & finitam diuiditur.

Infinita eſt,quæ nullis propriis & certis perſonarum, locorum,aut temporum circunſtantiis determinatur: diuiditúrque in cognitionis quæſtionem & actionis:item in quæſtionem an ſit,quid ſit,& quale ſit.

Finita quæſtio eſt quæ certis & propriis circunſtantiis perſonarum,locorum,aut temporum,circunſcribitur. Hæc autem ex triplici auditorum varietate in tria cauſarum genera diſtribuitur: demonſtratiuum, deliberatiuum, & iudiciale.

De genere demonſtratiuo.

1 In Partit. ſab.l.3.c.9.
2 In Partit.
de quibus Ariſtot.in Ethicis.

GEnus demonſtratiuum eſt,quod laudandi vituperandíque rationes continet:quæ non ad bene dicendum ſolùm,ſed etiam ad bene viuendum valent.hoc enim nullum eſt orationis genus, quod aut vberius ad dicendũ, aut vtilius ciuitatibus eſſe poſſit: aut in quo magis orator in cognitione virtutũ vitiorúmq; verſetur. Omnia verò ſunt laudanda,quæ coniuncta cum virtute ſunt, quæ cũ vitiis vituperanda.Vnde finis fidei alterius, eſt honeſtas: alterius,turpitudo. Finis motus delectatio.

Laus hominis ſumitur ex tribus bonorum generibus:animi corporis, & fortunæ. Animi quidem, vt ex virtutibus intellectus,ſapientia,intelligentia,ſcientia,prudẽtia, arte. Morũ,vt ex fortitudine,tẽperãtia,liberalitate, ma-

gnificentia,magnanimitate,modeſtia,manſuetudine, veritate,vrbanitate,facilitate,iuſtitia,amicitia, & reliquis.

Bona corporis,ſunt robur,valetudo,pernicitas,& ſingularum partium elegantia,membrorúmque proportio.

Fortunæ bona ſunt,genus,patria,parentes,liberi,amici,opes,honores,dignitates.

Laudantur quoque bruta animantia,regiones,vrbes, domus,agri,montes, ſyluæ,valles,flumina,cæteráque res quatenus homini maximè proſunt, contráque vituperantur. [3]Quoniam autem in hoc genere cauſæ omnis oratio 3 Ibidem. *ad delectationem auditoris refertur,vtendum erit his tropis & figuris,quæ habent plurimùm ſuauitatis: adhibendáque erunt rerum ornamenta:vt quæ admirabilia,inopinata, ſignificata monſtris, prodigiis, oraculis, quæque videbuntur ei de quo agemus accidiſſe diuina,ſiue ante vitam,ſiue in vita,ſiue poſt vitam. Collocatio verò,eſt multiplex:nam [4]aut temporum ſeruantur gradus,aut ge-* 4 In Partit. *nerum diſtributiones, aut à minoribus ad maiora aſcendimus, aut à maioribus ad minora delabimur,aut hæc inæquabili varietate diſtinguimus, cùm parua magnis,ſimplicia coniunctis,obſcura dilucidis,læta triſtibus,incredibilia probabilibus inteximus.*

Tractatio laudis. vitup.

In hominis autem laudatione prima ſunt externa, quæ ducuntur à genere: quo breuiter modicéque laudato, aut ſi erit infame, prætermiſſo, ſi humile, vel præterito vel ad augendam eius quem laudas gloriam tacto: deinceps ſi res patiatur, de fortunis erit & facultatibus dicendum. Poſtea de corporis bonis:in quibus quæ virutetm maximè ſignificat, facillimè forma laudatur. De-

inde eſt ad facta veniendum: quorum collocatio eſt triplex aut enim temporum ſeruandus eſt ordo, aut in primis recentiſſimum quodque dicendum, aut multa & varia facta in propria virtutum genera ſunt digerenda: in quibus ſedulò eſt cauendum, ne fallant ea nos vitia quæ virtutem videntur imitari. Jn toto autem contextu orationis, hæc erunt illuſtranda maximè, quemadmodum quiſque generatus, quemadmodum educatus, inſtitutus, moratúſque fuerit: ad quos honores reip. quóque modo peruenerit: & ſi quid cui magnum aut incredibile acciderit, maximéque ſi id diuinitus accidiſſe potuerit videri, tum quod quiſque ſenſerit, dixerit, geſſerit, ad ea quæ propoſita ſunt virtutum genera accommodabitur, atque ex inuentionis locis cauſæ rerum & euentus, & conſequentia requirentur. Neque verò mors eorum quorum vita laudabitur, ſilentio præteriri debebit, ſi modò quid erit animaduertendum in ipſo genere mortis, aut iis rebus quę poſt mortem erunt conſecutæ.

De genere deliberatiuo.

5 1. de inuē. Fab. lib. 3. cap. 10. *[5]DEliberatiuum genus, eſt quod poſitum in diſceptatione & conſultatione ciuili, habet in ſe ſententię dictionem.*

6 In Parti. *[6]cuius finis fidei eſt honeſtas & vtilitas, finis motus ſpes vel reformidatio. Suadere enim debemus quod honeſtum, vtile, ac poſſibile: diſſuadere contrarium. Ad honeſtatem referuntur officia & virtutes. Ad vtile præſentium bonorum conſeruatio, nouorum acquiſitio, malorum fuga. Ad poſſibile confert noſſe cauſas, tum efficientes per ſe, tum adiuuantes.*

7 Ibidem. *[7]Jn hoc genere, principia breuia eſſe oportet: non enim*

ſupplex vt ad iudicem venit orator, ſed hortator atque auctor. Quare proponere qua mente dicat, quid velit, quibus de rebus dicturus ſit, debet: hortaríque ad ſe breuiter dicentem audiendum. Neque eſt ſæpe narrandum: ſed tota vis orationis (quæ ſimplex, & grauis, exempliſque ac ſententiis debet ornatior eſſe, quàm verbis) in contentione & peroratione eſt ponenda: habita priùs diligenti auditorum ratione: apud quos ſi expoliti fuerint, de laude, honore, gloria, fide, iuſtitia, iiſque maximè virtutibus quæ in communi hominum vtilitate tuenda augendáque verſantur, erit agendum. Sin imperiti & agreſtes, fructus, emolumenta, voluptates, vitationéſque dolorum vberiùs proferentur: addetur etiam dedecus, infamia, contumelia, atque ignominia, aliàs ſubſecutura. Nemo enim eſt tam agreſtis, quem non ſi ipſa minùs honeſtas, contumelia tamen & dedecus magnopere moueant. Docendi etiam erunt qua via bona conſequi, maláve vitare poſſint: vt ipſa ſpes efficiendi, ad aſſentiendum impellat animos: capiendáque erit cùm ex negotio propoſito, tum ex loco, tempore, facultate armorum, pecuniæ, ſociorum, earúmque rerum quæ ad quamque rem efficiendam pertinent, ſuadendi aut diſſuadendi occaſio. Ad augendum autem non parum conferet exemplorum cùm recentium, quò notiora ſint, tũ veterũ, quò plus auctoritatis habeãt, copia: quibus poſſint vtilia ac neceſſaria honeſtis, aut hæc illis anteferri. Ad cõmouendos verò animos, maximè proficient, ſi incitãdi erunt, huiuſmodi ſentẽtiæ, quæ ad explẽdas cupiditates, aut ad odium ſatiandum, aut ad vlciſcendas iniurias pertinebunt. Sin autem reprimendi, de incerto ſtatu fortunæ Tractatio ſuaſionis & diſſuaſionis.

dubiíſque euentis rerum futurarum, & retinendis ſuis fortunis, ſi ſint ſecundæ: ſin autem aduerſæ, de periculo erunt commonendi.

De genere iudiciali.

8 1. de Inuent. Fab. lib. 3. c. 11. 9. In Part.

IVdiciale genus,[8] *eſt quod poſitum in iudicio habet in ſe accuſationem & defenſionem, aut petitionem & recuſationem:*[9] *cuius finis fidei eſt æquitas, finis motus eſt, ſæuitia vel clementia iudicis.*

In hoc genere primùm videndũ eſt de conſtituendo iudicio: deinde qui ſit ſtatus & modus totius cauſæ, qui oritur ex intentione accuſatoris, & depulſione defenſoris, tãquam ignis ex concuſſione duorum lapidum: vt ad eum confirmandum aut infirmandum, tanquam ad ſcopum omnia referantur argumenta.

10 Fab. lib. 3. cap. 8.

[10]*Status autem duplex eſt: alter rationalis, alter legalis. Status rationalis eſt, in quo de re eſt contentio: diſtribuitúrque in coniecturalem, definitiuum, & iuridicialem.*

11 Ibidem. & lib. 7. ca. 3. 4. & 5.

[11]*Coniecturalis ſtatus, eſt vbi quæritur de facto, an ſit. Definitiuus, eſt vbi quæritur de facti appellatione, quid ſit. Iuridicialis, vbi quæſtio eſt de iure vel iniuria facti, cùm quæritur quale ſit: vnde appellatur qualitatis. Eſt*

12 Fab. lib. 7. cap. 5.

autem duplex: alter[12] *abſolutus, alter aſſumptiuus. Abſolutus, eſt cùm ſimpliciter, quod factum eſt, iure factum eſſe defenditur. Aſſumptiuus, cùm per ſe infirma eſt defenſio, ſed aſſumpta re extranea comprobatur. Quo pertinet Relatio criminis, cùm reiicitur crimen in eum qui paſſus eſt iniuriam: Remotio criminis cùm reus defendit ſe feciſſe ob pietatem, religionem, patriam, pudicitiam, vel maioris mali vitandi cauſa: Conceſſio, quæ continet purga-*

tionem (ſi caſu, imprudentia, vel neceſſitate fecerit) & deprecationem, quæ rarò venit in iudicium.

Status legalis (qui ſub rationali continetur, doctrinæ tamen gratia huc transfertur) eſt quadruplex. Alius in ambiguitate, quando ſcriptum in duas vel plures ſententias trahi poteſt. Alius in diſcrepantia ſcripti & voluntatis: cùm videtur ſcriptoris voluntas à ſcripto diſſentire. Alius in contrariis legibus: cùm lex quædam aliquid iubet, alia verò idem vetat. Alius in ratiocinatione: cùm res aliqua ſine propria lege venit in iudicium, quæ tamen ab aliis legibus ſimilitudinem quandam capit. Atque hæc eſt eius, qui ex intentione & depulſione prima oritur, generalis ſtatus explicatio. Qui verò ex ratione defenſoris, & firmamento accuſatoris naſcitur, ſpecialiórq; eſt: diſceptatio, ſiue iudicatio (quæ in coniectura nulla eſt) appellatur: qua conſtituta, ita propoſita eſſe debet oratori, vt ad eam omnes ſuas argumentationes ex inueniendi locis referat. In coniecturali tamen, ad cauſas, euenta, vitam, facultatem, adiuncta, teſtes, quæſtiones: In definitiuo verò, ad nominis notationem, vim verbi, definitionẽ, ſermonis cõſuetudinẽ, antecedentia, conſequẽtia, repugnãtia, ſimilia, ad exempla eorũ qui ita ſunt locuti, & æquitatis locos: In iuridiciali demũ & legali, ad ius naturale, gentium, ciuile, ad legem & æquitatem, ad fœdera, tabulas, pacta, conuenta, ſtipulata, ad conſuetudinem & mores maiorum, ad neceſſitatem, caſum, fortunam, ad exempla ſimilia, cæteráque cauſæ adiuncta maximè eſt recurrendum. Tractatio accuſationis & defenſionis.

Hactenus expoſita ſunt à nobis breuiter potiſſima to-

tiùs doctrina dicendi præcepta, ad quæ diximus requiren-
19 de Orat. *dam " bonitatem naturæ, id eſt dotes animi & corporis, vt ſunt acumen ingenij, dicendi vbertas, memoria, linguæ ſolutio, vocis ſonus, preſſus, ſuauis, vrbanus, venuſtus, ingenuus ac liberalis, quæ arte iuuari & emendari poſſunt. Non tamen poterit quis eſſe perfectus orator, niſi ad illa duo acceſſerit vſus frequens, qui omnium magiſtrorum præcepta ſuperat." Omnes enim artes quotidiano vſu &*
20 ibidem. *iugi exercitatione artifices perficiunt: quæ ſi in vllo alio, maximè in oratore deſiderantur: In quo acumen Dialecticorum, ſententiæ philoſophorum, verba prope poëtarũ, memoria iuriſconſultorum, vox tragœdorum, geſtus penè ſummorum actorum eſt requirendus. Quòd ei ſubeundus ſit vſus omnium rerũ, periclitandæ vires ingenij, legendi poëtæ, cognoſcenda hiſtoria, omnium bonarum artiũ ſcriptores ac doctores euoluendi, atque exercitationis gratia laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi: diſputandúmque de omni re in cõtrarias partes, ſi velit eſſe omni laude cumulatus orator.*

Vis puer è Latio blandos decerpere flores?
En veterum facilis iam tibi ſumma via eſt.

FINIS.

945 227